DECRETVM

NE REGVLARES CVIVSCVMQ. ORDINIS

absoluant à Casibus in Bulla Cœnæ Domini Sedi Apostolicæ reseruatis, vel ab iis quos Ordinarij locorum sibi reseruant.

SACRA Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis & grauibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D. N. CLEMENTIS PAPÆ VIII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotis omnibus tàm sæcularibus, quàm regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, Militiarum aut Congregationum etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcumq; aliarum quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatū generaliter, vel specificè scripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apostolica, vel eius authoritate, eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus sæcularium, aut singularibus personis, seu alias quomodocúq; sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad cuiusuis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusuis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis tàm Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla in die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocunq; Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, eiusuè Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam à Casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterū sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, & speciali Sanctitatis Suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reseruatos, respectiuè, impetrata in scriptis licentia, Ordinarijs locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat, sed cum opus fuerit pœnitentes ad Superiores, legitimósq; Iudices suos accedere consulant; sub pœna contrafacientibus tàm regularibus, quàm sæcularibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcunq; officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absq; vlla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatiouè, aut absolutio, præterquàm in mortis articulo, possit impartiri, Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates, & concessiones ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Prætereà nouerint pęnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliùsq; roboris, & momenti.

Et nè locorum Ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione, subditis, aut Confessarijs in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, & paucos, eòsq; tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarùmq; sibi creditarum salutem pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate necessario reseruandos esse iudicauerint, reseruent. In quorum fidem &c. Dat. Romæ die nona mensis Ianuarij Anni M.DCI.

ALEX. CARD. FLORENT.

Hier. Agucchius Secret.

ROMÆ, Apud Impressores Camerales. 1601.